fuit· Propter quod sciendū· ꝙ est quadru
plex conceptio beate virginis· ¶ Prima ē
eterna de qua dicit͛ prouer· viij· Nec dum
erant abissi et ego iam cōcepta eram· De
hac nihil ad p̄sens· Alie tres sūt tēꝑales· scꝫ
seminis hominis et flamīs· In prima harū
nec contrahit͛ culpa· nec infundit͛ gratia
quia illa massa inanimata· sola aūt anima
est capax culpe et gratie ¶ In secunda cō
trahitur originale scꝫ in infusione anime li
cet em̄ in illa massa non sit culpa vt dictū
est nec anima in se sit maculosa quia creat͛
pura et imaculata· est tn̄ i illa massa que=
dam morbida infectio ꝓpter quā mox vt in
funditur anima contrahit originale Sicut
ponit͛ familiare exemplū in lapide calcis
qui sunt formaliter calid9· si tn̄ ꝑfunditur
aqua que scꝫm se etiā frigida ē resultat tūc
ibi calor ꝓpter dispositionē p̄existentem in
lapide· Sic hic in tercia cōceptione infun=
ditur gratia habitualis qn̄ videlicet aliq̄s
in vtero sanctificat͛· Et hanc conceptionē
virginis referri debet intentio hoc festum
celebrantis nō ad primā que feda est· nec
ad secundā quia in illa contraxit originale
scꝫm doctores sanctos· licet aliqui ob deuo=
tionem v̓ginis hoc nitant͛ negare· Unde
si in ista conceptione contraxit originale
tn̄ statim et si forte non in primo instanti
ꝓpter nature repugnantiā cū ita subito si=
cut naturale possibile fuit est purgata et
sanctificata· Igit͛ in primo ordine ad istā
sp̄ualem conceptionē celebrat͛ hoc festum
sanctificatōis vel conceptōis· Et hec san=
ctificatio sancta nō est facta ista die qua so
lum fuit conceptio semīs sed hinc vsqꝫ ad
trigintaquīqꝫ dies· quia circa tale tempus
fetus femine scꝫm philosophos et phisicos
in vtero animat͛· ¶ Sed tūc cadit du
bitatio quare nō illa die non celebret͛ hoc
festum potius q̄ꝫ in ista in qua nihil gr̄e su=
scepit· Dicendū ꝙ hac obiectione moti qui
dam olim noluerūt hoc festū celebrare ne
scientes nisi p̄sentia attendere quod ꝓprie
bestiarū est et hominū grossorū· Unde dic
Anshel· Erubescant insani qui hūc diē cole
re nolunt· Idcirco quod aliorū sanctorum
conceptiones mīme celebrat ecclesia ma=
gna quippe rusticitas est eam in hoc alijs
sanctis compare ī qua de9 carnē humanā
assumpsit· Hec anshel· Non em̄ incōueniē s
nec insolitū est illud quod vna die ꝑagit͛
referri ad alia que in alia die gesta sunt si
cut em̄ ecclesia de multis sanctis seruat fe=
sta in diebus obit9 de quibus tn̄ dubiū est
an eadeꝫ euolauerūt ad beatificā visionē
sed fortasse ꝑ aliquot dies in purgatorio
fuerūt· celebrant͛ tn̄ festa eorū in die obi=
tus quia tunc ad statū talem positi sunt in
quo fuerūt in via ad gloriā Mors em̄ sicut
facit hoīeꝫ beatū nō· sed ponit eū ī via ad
beatitudinē· Sic in ꝓposito hoc festū cele=
brat͛ hodie nō ꝙ beata virgo isto die gra
tiam suscepit· sed quia hodie incepit habe
re tale esse quod erit via adesse ꝑceptibile
gratie Sic etiā parisius celebram9 dedica
tionem basilice marie roma dicentes ī col=
lecta· Deus qui ꝑ singulos annos hui9 san
cti templi ꝛc· Et post Quisquis hoc templū
et vbi nō refert͛ intencio ad templū pari=
sius in quo sum9 sed ad templū rome· ita
ꝙ ly hoc nō demōstrat illᵒ quod ibi appa=
ret sensui sed aliq̄d aliud ītellectū Sic etiā
in verbis consecratōis christi ly hoc nō de
monstrat illud quod ibi apparet sensui sed
aliquod aliud intellectū· Sic etiā in ꝓposi
to· Alia ratio est quare hodie potius cele=
bratur hoc festū· quia ita extitit reuelatum
videlicet septimo idus decembris· sicut pa
tet in tribus miraculis in legenda· ¶ Qua
re aūt beata virgo hūc diē reuelauit cele
brandū poti9 q̄ꝫ tricesimāq̄ntā· Possunt es
se tres rationes· ¶ Prima ꝓpter suorū pa=
rentum piam cōmemorationē d̓ quib9 nul
la memoria cōmuniter in ecclesia agit͛·
Secūda ꝓpter sue miraculose cōceptōis ve
nerationē· quia ex sene sterili concepta fu
it· ¶ Tercia ꝓpter matrimonialis cōcubit9
excusationē declara· Et sic patet primū qᵒ
est debita intentōis ordinatio que notat͛
in eo ꝙ dicit͛· Precurre in domū tuā prior
in domū scꝫ intelligentie· de qua Sap̄· viij
Intrans in domū tuā cōquiescā cū illa· De
isto p̄cursu in talem domū pōt exponi illᵒ
quod legit͛ de petro et iohanne currenti=
bus ꝑ monumentū vbi iohannes p̄cucurrit
petro· Iohannes speculationē intellect9
designat petrus vero adhesionē affectus
adaptat· ¶ Secundū est mentis inter
na collectio quod notat͛ in eo quod addi=
tur et illic aduoca te· Multi em̄ a seip̄is sūt
absentes quia aīa plus est vbi amat q̄ꝫ vbi
animat scꝫm Aug· Quales sunt qui totis de
siderijs exterioribus dediti non attendunt
de gloria filie regis abintus· Et tales san=
ctificationem sp̄us nō recipiūt· sed tm̄ ma=
terialem conceptionē attendūt· Et qui ta
lis est non pōt hanc celebritatē ꝑagere·
nisi aduocet se metipsum in se ꝑ mentaleꝫ
suijpsius collectionē· Hec mentalis colle=
ctio designata est ioh· xiij· Magister adest
et vocat te· Iste magister in aīa est supe=
rior ratio que vocare debet mariā flentē·
id est· animā tumltib9 seculi sua solicitudie

Nota quādo gratia originale

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-v-105/0030
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt